

**1993-10-07 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Fideles Ecclesialis Rzeszoviensis’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***FIDELES ECCLESIALIS***

**BEATUS SEBASTIANUS PELCZAR EPISCOPUS PATRONUS PRINCIPALIS,  
ATQUE BEATA CAROLINA KÓZKA, VIRGO ET MARTYR, PATRONA SECUNDARIA  
APUD DEUM DIOECESIS RZESZOWIENSIS CONFIRMANTUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Fideles ecclesialis communitatis Rzeszoviensis, a Nobis die XXV mensis Martii anno MCMXCII per Litteras Apostolicas «Totus Tuus Poloniae populus» constitutae, Beatum Sebastianum Pelczar episcopum, nec non beatam Carolinam Kózka, virginem et martyrem, quos ambos Nos Ipsi in Beatorum catalogum retulimus, Clara veneratione prosequuntur, atque Iis impetrantibus caelestium gratiarum copiam sibi exposcunt. Quam ob rem Venerabilis Frater Casimirus Górný, Episcopus Rzeszoviensis, communia cleri populi que vota excipiens, electionem beati Sebastiani in Patronum principalem et beatae Carolinae in Patronam secundariam apud Deum dioecesis suae rite peregit, itemque petivit ut huiusmodi electio ab hac Apostolica Sede confirmaretur. Nos vero, enixis eius Venerabilis Fratris precibus libentissimo animo obsecundantes, comprobatis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum beatum Sebastianum Pelczar episcopum, Patronum principalem, atque beatam Carolinam Kózka, virginem et martyrem, Patronam secundariam apud Deum dioecesis Rzeszoviensis confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae in Normis de Patronis constituendis indicantur (AAS, vol. LXV, 1973, 276-279). Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque plenos effectus sive nunc sive in posterum consequantur. Contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Octobris, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**